



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

87. De consecratione mirabili Episcopali Sa[n]cti Huberti S. Willibrordi  
amici.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

cum eo conuersari & consultare.

Quod igitur in tabula nostra Chronographica fixerim  
Martyrium S. Lamberti anno 696. hinc retractatum volo.

## DISSERTATIO LXXXVII.

De consecratione mirabili Episcopali Sancti  
Huberti S. Willibrordi amici.



Adem die, imo eadem hora, qua S.  
Lambertus pro Domino sanguinem  
fudit, cælitus de eo certior redditur  
Romæ Pontifex Sergius, & monetur  
confestim consecrare in eius locum  
S. Hubertum, qui deuotionis ergo  
ad Romana limina peruenerat. Hi-  
storiam protulimus dissertatione 60.

pro vteam edidit ex vetusto Authore Ioannes Roberti.  
Nunc ex eodem Authore hæc addimus: *A Pontifice ergo  
in Episcopum consecratur S. Hubertus. Cum ibidem missam celebra-  
ret, apparuit ei B. Petrus Apostolus, tradens ei clauem quasi au-  
ream, in manu gestandam in pote statem ligandi ac soluendi, & lu-  
naticis furiosisque sanitatem conferendi. clavis autem ipsa vsq; hodie  
seruatur in Ecclesia B. Petri Leodij. Dum autem exequia B. Lam-  
berti agerentur, in Ecclesia B. Mariae Traiecti, audita est vox de-  
super eadem hora, à summo Pontifice, Deo reuelante, eis prouisum  
de condigno Pastore B. Lamberti Discipulo Huberto nomine. Accep-  
ta autem licentia & benedictione à summo Pontifice, qui venerat pe-  
regre, Prasul factus remeavit cum honore. A Roma autem urbe  
cum baculo & Pontificalibus B. Lamberti rediens, secum ferens cla-  
uem à B. Petro sibi traditam, à Clero & populo Traiectensi honori-  
fice suscipitur, & in Cathedra Pontificali reuerenter inthroniza-  
tur.*

Con-

Conformiter ad nostram sententiam mox stabilitam de anno Martyrij S. Lamberti, dicta S. Huberti consecratio peracta est anno 698. vel 699.

DISSERTATIO LXXXVIII.

De Drogone, Grimoaldo legitimis  
Pipini Filijs.

**S**ecundum Sigebertum, Haræum, Miræum anno 699. Drogo Pipini filius vitam morte commutat. fuerat Maior domus Franciæ & Dux Campaniæ. Pater enim eius, quantumvis meretricijs amplexibus irretitus, liberorum tamen ex Flestrude procreatorum curam minime abiecit. Drogonem natu senio-rem amplissimo Ducatu Campaniæ, ( vulgo de Kempen lego apud non neminē vocabuli similitudine deceptum ) & Maioratu in Francia ditauerat. Et hoc eodem anno Grimoaldus secundo genitus à patre Maior Domus in aula Childeberti Regis statuitur in locum Drogonis, ei-que Filia Radbodi Frisonum Regis despondetur. Grimoaldo proditoriè interfecto, idem Pipinus Theobaldum ex Drogone Nepotem eodem Maioratu honorat. Sic Palatinas dignitates pro libito Pipinus distribuebat qui Rex non erat, Regia tamen dominabatur potestate.

Dices, Pipinus Maioratum Austrasiæ & Franciæ retinuit vsque ad obitum; quomodo ergo Drogo, Grimoaldus, Theobaldus, hîc dicuntur Maiores Domus Franciæ constituti? Respondeo, admitto antecedens; sed quia Pipinus in Austrasia sese continebat ibique Magistratum per se administrabat remotus à vasta Francia, aliquem ex suis ordinavit in aula Regis qui Francicis negotijs intende-

ret